accepit cathedram non secus; Statim denique pro talibus meritis etiam proscripti
onis gloria consecuta est; Nec enim aliud oportebat quam ut eum qui in
tra secretam conscientiae latebram religionis et fidei toto honore
florebat etiam publice celebrata gentilium fama titularet. Posset
quidem tunc pro velocitate qua semper omnia consecutus est etiam mar
tyrii circa eum debita corona properare; Maxime cum et suffragiis
saepe repetitis ad leonem postularetur nisi per omnes ordines gloriarum
transeundum illi esset et sic ad summa veniendum. et nisi imminentis
ruinae ope tam fecundi pectoris indigeret. finge enim tunc illum
martyrii dignatione translatum; Quis emolumentum gratiae per fidem
proficientis ostenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiae
disciplinam et habitum sanctimonia dignum velut frenis quibusdam
lectionis dominicae coherceret? Quis doceret poenitentiam lapsos.
veritatem hereticos. scismaticos unitatem. filios dei pacem et euangelicae
precis legem. per quem gentiles blasphemi repercussis in se quae nobis inger
uncerent. a quo christiani molliores affectu circa amissionem suorum
aut quod magis est fidei parvioris consolarentur spe futurorum? Unde
sic misericordiam. unde patientiam disceremus? Quis livorem de venenata
invidiae malignitate venientem dulcedine remedii salutaris
inhiberet? Quis martyras tantos exortatione divini sermonis
erigeret? Quis denique tot confessores frontium notarum secunda
inscriptione signatos et ad exemplum martyrii superstites reser
vatos incentivo tubae celestis animaret? bene bene tunc et vere
spiritaliter contigit quod vir necessarius tam multis et tam bonis rebus
a martyrii consummatione dilatus est; Vultis scire secessum illum
non fuisse formidinem? ut nihil aliud excusem. ipse postmodum passus
est: Quam passionem utique ex more vitaret si et ante vitasset.
Fuit fuit vere formido illa. sed iusta formido quae dominum timeret
offendere. formido quae praeceptis dei mallet obsequi quam sic